



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Angelii Bargaei Commentarius de Obelisco

Angèli, Pietro

Romae, 1586

Eivsdem Epigramma.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13181

Tu quicquid orbi nuncias.

EIVSDEM EPIGRAMMA.

Tergemini montes, sublimi in mole serenos
 Impositis astris explicuere sinus;
 Astra humeros rursus manifesta in luce coruscos,
 Calcandasq; Cruci supposuere comas,
 Hæc cælo statuenda fuit: sed montibus altis
 Celsior, atque astris non erat ullus apex.

A L I V D.

Quod moles immota tua Pater optime menti
 Paret, & imperijs est modo mota tuis,
 Non facit hoc cogente manu, vel viribus ullis:
 Illi etiam scelus est non tua iussa sequi;
 Et dubitem infranes posituros colla Britannos,
 Quando & saxa tuum iam subiere iugum?

A L I V D.

Viderat æquatos cælo Roma aurea montes
 Ostentare tua Chryste trophæa crucis,
 Et septem mirata arces sub munere tali
 Subsedissee humiles: talia dicta dedit:
 Sola meum quondam potuit crux vincere robur,
 Soli nunc poterunt tecta subesse Cruci.

EIVSDEM EPIGRAMMA.

Inclita Echyonia sileant miracula turres,
 Sint licet argutam membra sequuta chelym
 Aspi-

*Aspiciat immotas blando sine carmine rupes
 Jussa sequi Domini Roma superba sui
 Aspiciat: & merito numen super aethera tollit
 Non nisi Christe, tuum, non nisi Sixte, tuum.*

ALVMNORVM COLLEGII
 GERMANICI.

NICOLAI MÜNSTERI EPIGRAMMA.



*S*AXA, superq; altos montes crux au-
 rea surgit.

*Num locus in terris altior ullus
 erat?*

Non tamen hoc Sixto satis est, super astra reponit.

Num locus in caelo, celsior ullus erat?

Scilicet illa fuit sedes super astra locanda,

Caius & in caelo Rex super astra sedet.

EIVSDEM.

*C*Æsaribus auspicijs positus, vix unius olim

Tu decus Orbis eris, si decus Urbis eras:

Ast ubi te posuit felici sydere Sixtus,

Nobile totius nunc decus Orbis eris.

Talia Pontificem Sixtum monumenta decebat

Ponere, quippe Parens Urbis, & Orbis erat.

ALIVD